29

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE DYSENTERIA CASTRENSI, SEV PANNONICA,

QVAM

AVXILIANTE NVMINE DIVINO,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTHO,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE, ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS SYNDICO ET CONSVLE,

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN HAC PER-ANTIQVA HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,

SVB PRÆSIDIO

DN. LAVR. THEOPHILI LVTHER,

MEDIC. DOCT. CHYMIÆ PROFESS. PVBL. FACVLTAT. MED. ASSESS. ORDIN. ET CIVITAT. ERFORD. CONSVL. SENIOR. N. N. PHYSICI ADJVNCTI,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBUS RITE ET SOLENNITER IMPETRANDIS,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT,

AVCTOR ET RESPONDENS,

CHRISTIANVS Gottlieb Felsmann/

Lignic. Siles.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE IX. JVNII M DCC XXXII.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.



DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICÆ
DE
DYSENTERIA CASTRENSI,
SEV
PANNONICA,
PROOEMIVM.



Vam gravia, ſontica ac pernicioſa, quamque innumera malorum & morboſorum pathematum genera plerumque ex turpiſſimâ illâ hominum militarium intemperantia, nefandaque voracitate ac ingluvie prognaſcantur, quilibet in caſtris vel leviter ſaltem oberrans ad nauſeam usque deprehendet & in-

veniet: Habent enim Caſtra hoc peculiare & nusquam fere alibi citius comparandum, quod ſcilicet vix unquam, aut alia quadam occaſione, major omnis generis cruditatum ac impuritatum ſummè noxiarum copia & quantitas colligatur, producatur & accumuletur, quam quidem tunc, quando ſumtibus alienis ſuo gaudet jure proterva gens militum, adeò, ut non immeritò jam dudum remis veliſque eò allaborandum eſſe dictitaverint cordatiores Medici aliique, quo ab hoc ſpontaneæ veſaniæ genere miles quam longiſſimè arceretur, & legibus ſumtuariis, rigore caſtrenſi ad ſtrictè ſervandum promulgatis, exquiſitè parere cogatur. Aſt, cum plerique horum hominum helluationibus diurnis nocturniſque, antequam ad caſtra eant, nimium quantum indulgere iisque ad nauſeam ferè pergræcari ſoleant, adeoque rariſſimè nomina ſua dent militiæ, niſi prius per ſesquimenſem nonnunquam, miſeris colonis oneri longè graviſſimo tandem futuri, gulæ Bachoque ſtrenuè litaverint, unde dein plerumque evenit, ut vix jam in primo limine caſtra Martis ſalutantes, continuò ante adſuetæ

crapulæ pœnas dent juſtiſſimas, dum morbis periculoſisſimis ac moleſtisſimis obruuntur, excruciantur, tandemque non rarò ſumma ſub penuria atque miſeria ê medio tolluntur.

Neque vero hoc iis tantum unicè ſolenne eſſe obſervamus fatum, qui prægreſsâ aſſiduâ quorumlibet alimentorum ac potulentorum puriorum ingurgitatione ſanitatem ſuam nimium quantum debilitârunt, antequam in campum deducti fuerunt; ſed ſimile quoque periculum ii pariter ſubire coguntur, qui, perfectâ cœteroquin ac inconcuſsâ ſanitate gaudentes, in caſtra deſcendunt, quoniam ex diæta ſatis dura ac impura, quæ plerumque ibidem ſervanda diuque non rarò continuanda eſt, brevi temporis intervallo tanto humorum excrementitiorum diluvio corpora ipſorum inundantur, ut omnis generis morbis itidem facillimè, inſontes licet, tandem exponantur & ſubjiciantur, ob ingentes nimirum cruditatum ſentinas ex phlegmate crudo, acido, vitreo, ſalſo, ex bile citrina, pallida, vitellina, æruginoſa, iſatode, aliisque humoribus impuris, acidis, acribus, confermentantibus, largè circa primas vias

& connexa viſcera collectis atque congeſtis. Crudum enim phlegma vix ullibi locorum plus citiusve coacervabitur, quam in hoc cruditatum Oceano, ubi ex largiori ingeſtione quorumvis horariorum fructuum, tenuior & acrior, ex carnium ſemi-crudorum, induratorum aut ſalitorum ingurgitatione, craſſior magisque lenta pituita, naturali longe deterior, ſemper accumulatur. Acidorum vero humorum abundantia, ex potulentorum depravatorum copioſiori aſſumtione potiſſimum producta, cum in toto corpore cauſa majoris cruditatis, flatuum atque vaporum ſit, in ventriculo vero cauſa famis exiſtat, tanto magis in quantitate ſua pernicioſa augebitur, quo magis fames ad cruditates expetendas acore hoc ſtimulata, in caſtris excitata & vehementior reddita fuerit. Vitreum porro phlegma, omnium tenaciſſimum, quod itidem diætæ caſtrenſi familiariſſimum ſit, colicæ graviſſimæ & illæ ſœpius ibidem epidemicæ, abundè teſtantur, quemadmodum & ſitis, apud pleroſque non dum perfectè ægrotantes, ſalſam pituitam excrementitiam, ventriculo impactam & inhærentem, exactè

ctè prodere solet. Bilis denique abundantis ac depravatæ, ad inducendos & provocandos gravissimos morbos aptissimæ & efficacissimæ, an ullibi major colligatur copia, majoresque ex levi quacunque causa ebullientis inducantur fervores, quam in castris, vix unquam dubito, quoniam plerumque simplicissimum hoc genus hominum, milites puta, tunc demum bellè secum actum esse autumat, si plurimo, inprimis ex raptu parto potu, tam vinoso, quam spirituoso, quotidie ad insaniam ferè inebriata fuerit, parum interim curans, quantas insolitis hisce cupediis secuturorum morborum flammas in proprio corpore succendat, inprimis vero sonticas atque pernitiosas febres, tam acutas, quam lentas, inflammatorias & exanthematicas, nec non diarrhœas summè torminosas atque diuturnas, ex levissima superveniente causa tandem facillimè in lethales *Dysenterias* degeneraturas, concitet atque inducat. De his omnibus vero cum specialius jam agere, singulaque ista mala, quæ miseros tales homines hoc sub vitæ genere crebrius infestant & catervatim trucidant, fusius percensere nec tempus

nec

nec instituti ratio, nec spatium ipsum permittant, nunc unicum saltem, eumque & frequentissimum & gravissimum, seligere atque loco Speciminis inauguralis paulò exactius pertractare lubet affectum, modo memoratam nimirum *Dysenteriam*, cujus specialem genium & indolem, quam tunc demum exhibet, quando in *castris*, præcipue vero in *Pannonicis regionibus*, uti sœpius fieri solet, epidemicè grassatur, eâ quâ decet ac per ingenii imbecillitatem licebit, sedulitate atque dexteritate, adumbrare ac delineare constituimus. Ut autem summus Archiater, Deus T. O. M. cœptis hisce clementissimè annuat, omniaque eò præcipuè dirigat, quo in Divinæ Majestatis gloriam & decumbentium salutem felicissimè cedant, humillimis supplicibusque nunc obtestor precibus.

§. I.

LIcet hodienum in Scholis Medicorum satis abundè jam jam cognitum sit, qualisnam affectus propriè sub *Dysenteriæ* titulo intelligatur & comprehendatur, adeoque philologica & critica hujus vocabuli explicatio minus necessaria, imo planè superflua videatur, cum præcipuè hæc parum aut nihil ad morborum profligationem conducat, quoniam non

non verbis, sed herbis curatio eorundem rationalis instituì debet; nihilo tamen minus, cum nominum significata probè distinguere, juxta GALENI effatum *Lib. III. de simpl. med. facult. cap.* 2. magnum habeat momentum & facultatem ad veram eorundem cognitionem, paucis saltem, pro rei exigentia, ne prorsus ἀμεθόδως instituatur tota hæc tractatio, ea, quæ ad nominis evolutionem pertinent, reali affectus nostri considerationi præmittere placet.

§. II.

Dysenteriæ igitur vocabulum, græcos agnoscens natales, procul dubio vel â parte tantum affecta, vel ab hac & symptomate urgentiori simul, juxta præfatum GALENVM *Lib. II. meth. med. cap.* 2. desumtum est: Componitur enim ex usitata particula δυς, quæ, si principiis nominum apposita fuerit, communiter *difficultatem*, vel potius, ex mente SCALIGERI *Comment. in Aristot. Histor. Anim. Lib. X. cap.* 43. in hoc casu *malignitatem* designat; cui vocabula ἔντερον *intestinum* & ῥεῖν *fluere*, juxta BLANCARDVM *in Lex. Med.* adjuncta sunt, ut hac ratione *difficultatem* molestam & torminosam *intestinorum*, aut potius *difficilem* vel *malitiosum intestinorum fluxum* designet.

§. III.

Obtinuit autem, ratione Synonymiæ, truculentus hicce affectus, præter vulgatissimum hoc, etiam alia nomina â diversis Autoribus, quibus indolem ejus forsitan clariorem reddere annisi fuerunt, quandoque vero etiam magis obscurârunt: Sic CELSO *Lib. IV. c.* 15. sub nomine *torminum cum exulceratione intestinorum*

rum venit, quoniam totus plerumque inteſtinorum canalis graviſſimis ſtatim doloribus ſub eodem excruciatur; PARACELSO & WALTHERO *in Sylv. med. p. 488.* audit *morbus diſſolutus*; DIETERICO *in Jatr. Hippocr. p. 373. rhevmatiſmus torminalis*; â COELIO AVRELIANO vero *rhevmatiſmus cum exulceratione*, *&* *â Magnif. h. m.* WEDELIO, *in Amœnit. mat. med. p. 235.* vocatur *hypercatharſis ſpontanea*: Ab aliis vero *cruentum alvi profluvium*, *fluor dyſentericus*, *diarrhœa cruenta*, *exulceratio* aut *excoriatio inteſtinorum*, vel etiam *febris ad inteſtina converſa*, appellatur. Germani uſitatiſſimo vocabulo, **die rothe Ruhr**, eundem indigitare ſolent; in quibusdam autem regionibus, **das rothe Durchlauffen**, item **die Darm- oder Blut-Ruhr** dicitur.

§. IV.

Quod denique Homonymiam concernit, vario itidem ſenſu hæc vox communiter accipitur, & quidem *generaliter*, apud antiquiores Scriptores, omnes alvi fluxus, ſeu *diarrhœæ incruentæ*, ſub eâdem comprehenduntur, quorſum propterea etiam pertinet illa WILLISII *Dyſenteria incruenta*, quam in *Pharmac. rat. p. 194.* deſcribit, ut & *fluxus* ille *dyſentericus*, qui Ao. 1625. Lugduni Gallorum epidemicè graſſatus atque ideo â JOH. LAMONIERE in peculiari Tr. deſcriptus eſt, ſub quibus, licet magnam fecerint ſtragem, tamen ne minima ſanguinis molecula excreta fuit. *Specialiter* dein uſurpatur de omnibus *cruentis alvi fluxibus*, juxta CLAVDINVM *Conſultat. med. XLII. p. 476.* quorum quatuor communiter ſpecies habebant Veteres: *Primam* harum deducebant â copia ſanguinis, vel ob partem quan-

dam insigniorem corporis abscissam, vel consueta exercitia subitò omissa, vel evacuationes solenniores & maximè familiares suppressas; *alteram* vocârunt *hepaticam*, ubi nimirum sanguis serosus, loturam carnium recens mactatarum referens, quem ab Hepatis imbecillitate, cui sanguificationis negotium unicè adscripserunt, oriri autumabant; *tertiam* appellârunt *melancholicam*, & in eâ sanguinem, propter longiorem moram in hepate quasi adustum, nigrum atque splendentem, per alvum excerni asseruerunt; in *quarta* vero non nisi sanguinolenta brevibus intervallis, admixtis simul excrementis humoreque quasi purulento, cum insignioribus doloribus atque torminibus & conjuncta febre plus minus acuta, frequenter egeri dixerunt, quæ ipsa etiam in sensu *specialissimo* illa propriè Dysenteria est, quam hodièdum κατ' ἐξοχὴν sub hoc titulo propriè intelligimus, eaque propter pro objecto præsentis Dissertationis inauguralis nobis selegimus, ita tamen, ut non nisi singularem ejus indolem, causas atque symptomata, quæ tunc maximè observantur, quando in castris militum, & præcipue in Hungaricis provinciis, pessimus talis affectus epidemicè grassatur, concinno ordine describamus, recenseamus & evolvamus; hinc quoque, ad evitandam omnem confusionem, non immeritò eandem *castrensem*, seu *pannonicam*, appellavimus *Dysenteriam* in fronte hujus tractationis, ut exactè statim innotescat, quod illum præcipuè alvi fluorem cruentum subintellectum velimus, qui aliàs sub nomine der Ungarischen Ruhr venit, totamque sæpius Europam fortiter perterruit, quoniam non modo in ca-

ſtris ab initio profuſam edit ſtragem, ut plures non rarò contagioſo hoc affectu, quàm hoſtis gladio pereant; ſed & inſuper facillimè aliis quoque regionibus, ad inſtar luis cujusdam peſtiferæ, communicatur, ſimilemque ferè tragœdiam ibidem exhibere obſervatur.

§. V.

Eſt autem CASTRENSIS talis DYSENTERIA *frequens, cruenta ſummeque doloroſa alvina dejectio, modo cum fecibus alvinis, modo cum materia mucoſa vel prorſus purulenta conjuncta, à miaſmate quodam ſpecifico & abinde producta acriori humorum fermentatione, inflammationem inteſtinorum tam tenuium, quam craſſorum, phlegmonodeam tandemque excoriationem tunicæ eorundem villoſæ & interdum quoque nervoſæ, producente, excitata, & cum febre acuta plerumque maligna magis, quam benigna, nec non moleſtiſſimo teneſmo, ani procidentiam ſæpius cauſante, aliisque gravioribus ſymptomatibus ſtipata.*

§. VI.

Ex hac igitur truculenti hujus morbi deſcriptione, abunde ſtatim cuilibet innoteſcit, quod pro parte principaliter in eodem affecta utique univerſum inteſtinorum canalem, tenuia nempe pariter ac craſſa, agnoſcamus: Quanquam enim SPIGELIUS, BARTHOLINUS aliique, juxta relationem HORSTII *Lib. III. obſ. 20.* in Dyſenteria, potiſſimum epidemia, inteſtina craſſa magis pro principali ejusdem ſubjecto venditent, hoc tamen non obſtante ipſa etiam tenuia, utpote ratione ſitus affluxui, collectioni & confermentationi depravati liquoris gaſtrici, bilis & humoris pancreatici propinquiora, præcipuè primis morbi diebus, ſemper gravius

affli-

affliguntur, prout hoc ipſum ſectiones dyſentericorum à BARBETTE *Lib. IV. Prax. c. 5.* BONNETO in *Sepulchr. anat.* & in *A. N. C.* hinc inde deſcriptæ, exacte teſtantur. E contra vero ſucceſſu temporis, & in ſtatu morbi, utique craſſa inteſtina multum imò plurimum patiuntur, inprimis vero rectum, propter continuam vellicationem, arroſionem atque conſtrictionem, ſub fecum dejectione potiſſimum occurrentem, unde poſtmodum interior ejus tunica plus juſto relaxatur & ſimul tali ratione moleſta illa ſatisque ſontica ſœpius ani procidentia excitatur.

§. VII.

Partem vero *ſecundariò affectam* quod attinet, hanc conſtituunt ex parte ventriculus cum œſophago, teſtimonio proſtrationis appetitus, vomitus, anxietatum præcordialium, ſingultus, aphtharum, &c. quæ omnia in dyſentericis ſucceſſivè occurrere ſolent, ipſaque hæc viſcera ægerrimè quoque afflicta eſſe demonſtrant; ex parte vero etiam tota ſanguinis maſſa eandem ſiſtit, quatenus nimirum â ſpecifico miaſmate ſubtili, orgaſtico, halituoſo, ab extra corpori communicato & inſinuato, nec non à copioſis particulis acribus & fermentativis, circulando ex inteſtinorum canali in eam penetrantibus, totamque ejus mixtionem & craſin eximiè alterantibus & corrumpentibus, illa ipſa nimium quantum depravatur, exagitatur & ad ſuſcipiendos alios motus extraordinarios atque inſolitos, imò producendos tandem effectus corruptorios, ſimul quaſi præparatur, prout hoc non ſolum inextinguibilis illa ſitis una cum febre plus minus acuta, quæ Dy-

ſenteriam ordinariè comitantur, ſed & ipſæ quoque inflammationes, Gangrænæ & Sphacelismi, in moribundis præcipuè ſubſequentes, ſufficienter teſtantur. Et huic ipſi ſententiæ etiam adſtipulatur *venerandus* noſter *Senex*, dum *Lib. de affect. Sect. XXIV. n. 9.* ita ſcribit: Morbus hic fit, ubi bilis & pituita in venas & alvum incubuerint: *Ægrotat quidem ſanguis & corruptus ſecedit, ægrotat autem & inteſtinum & raditur & exulceratur.* Contrariam vero eidem fovet WILLISIVS, qui *in Tr. de febribus Cap. 10.* maſſam ſanguineam in Dyſenteria primariò affectam ſtatuit, ita quidem, ut recepto in ſanguinem miaſmate maligno, inibi oriatur orgaſmus aliquis cum præcipitatione partium quarundam, â quibus dein ad inteſtina delatis ſuborietur eroſio cum fluxu dyſenterico; aſt, cum multæ ſub hoc morbo occurrentes circumſtantiæ huic hypotheſi ê diametro contrarientur, inprimis, quod ſœpe Dyſenteria â nullo miaſmate, ſed ſolis ingeſtis qualitate vel quantitate peccantibus oriatur, adeoque benigna tantum & absque febre ſit; quod reliqua viſcera, exceptis inteſtinis, intacta maneant â tali miaſmate, cum tamen plus ſanguinis utplurimum per illa tranſeat, quam per hæc, nec non quod Diarrhœa ſœpiſſimè præcedat Dyſenteriam & certo reſpectu ejus cauſa evadat, citra febrem, quæ non niſi Dyſenteriam obortam demum ſequitur, adeoque hanc tali ratione inducere non poteſt; hinc meritò ſententiam hancce rejiciendam atque Autori & fautoribus ſuis ulterius comprobandam relinquimus.

§. VIII.

§. VIII.

Cum vero præter Dysenteriam plures quoque alii in Praxi frequentissimè occurrant affectus, sub quibus itidem cruentæ dejectiones alvinæ, satis itidem dolorosæ, observantur, ac in nostro affectu, probè utique ante omnia demonstrandum erit, quâ ratione potissimum ab iis distinguatur Dysenteria, ut dein genuinam ejus indolem tanto exactius cognoscere queamus. A Diarrhœis igitur sic dictis *torminosis* & biliosis differt tam *modo*, quam *tempore grassationis*, quorum intuitu hic affectus plerumque epidemicè & præcipue ineunte autumnali tempore, grassatur; illæ vero indiscretim omni tempore, simulque magis sporadicè tantum occurrunt. Dein differunt *gradu torminum* atque dolorum, qui semper longe major in Dysenteria, quam in his excretionibus observatur, sub quibus insuper etiam excrementa magis mucida, aut citrina, vel viridescentia, non vero adeò cruenta & quasi purulenta, uti in nostro affectu fieri solet, egeruntur. A *fluxu* vero *hepatico* hic ipse morbus potissimum sese distinguit ratione *consistentiæ excrementorum*, quæ in illo magis fluida & leni tantum colore rubicundo tincta sunt, ita ut loturam carnium ferè referant, simulque etiam sine notabili dolore aliisque symptomatibus gravioribus ejiciuntur; quorsum etiam accedit, quod, si fluxus ille hepaticus uno alterove die supprimatur, communiter brevi post, sine doloris in sede sensu, sponte redeat, juxta FROMMANNUM *Tr. de hæmorrhoid. Prob. XLIV.* ubi ê contra in Dysenteriá quælibet intempestiva ejus suppressio semper majora incommoda atque pericula inducere solet.

solet. A *cœliacâ* vero *passione* & *Lienteria* quomodo facillimè statim distinguenda sit Dysenteria, ex HILDANO præcipue *C. IV. Observ.* sufficienter liquet.

§. IX.

Inprimis autem probè distinguendus erit noster affectus ab *hæmorrhoidali fluxu*; & quidem impeditius ac cum torminibus sensibilioribus interdum emicante, quippe cum quo multum sanè affinitatis tunc exhibere observatur, adeoque facilè, notante VILLANOVANO in *Breviar. Practicæ Lib. II. Cap. 26.* subjecta hæmorrhoidalia cum dysentericis, aut graviori saltem tenesmo vexatis confundi possunt. Interim tamen, si Practicorum evolvamus scripta, luculenter ex mutua utriusque affectus collatione apparet, quod sanguis in fluxu hæmorrhoidali quandoque post, sœpius vero ante & interdum simul cum fecum exclusione simul, & quidem, quæ palmaria est circumstantia, semper purus, distinctus & separatus ab ipsis fecibus prodeat; hinc, si tali ordine & modo sanguinem excerni observamus, si feces naturalis sint consistentiæ, si eædem sine admodum notabili peristole aut contractione intestinorum, quæ sub qualibet dejectione sub Dysenteria percipitur, egerantur, si denique sanguis copiosior excernatur, (cujus paucissima tantum portio ordinariè excrementis intermixta est in nostro affectu,) tunc certè non dysentericum, sed *hæmorrhoidalem* potius esse fluxum, probabiliter satis concludimus, quæ ipsa sententia tanto magis confirmabitur, si fluxum talem imminentem præsagientia, v. gr. æstum circa spinam dorsi, aut dolorem

lorem tensivum lumborum, ani pruritum, &c. simul adesse vel adfuisse deprehendemus.

§. X.

Lustrata sic differentia, quæ inter Dysenteriam & alios congeneres affectus communiter occurrit, nunc quoque paucis propriam ejus discrepantiam, seu discrimen, quod intuitu variarum circumstantiarum inter Dysenterias observatur, considerabimus. Sic ergo respectu *excretorum* alia est *rubra*, propriè ita dicta & frequentissima, sub qua dejectiones omnes sunt cruentæ; alia vero *alba*, ubi mucosa, purulenta, albicantia, cum ramentis fibrosis copiosioribus intermixta excrementa, absque ulla ferè sanguinis admixtione, dejiciuntur. Ratione *causarum* est vel *publica*, vel *privata*, seu sporadica; ad illam pertinet tam *epidemica*, quæ sœpius per urbes & agros latissimè grassatur, pluresque, ob conjunctam plerumque malignitatem, tunc enecat; quam *endemia*, certis tantummodo locis quasi propria, qualis in specie illa Hybernorum est, cujus meminit SYDENHAMIVS *Oper. sect. IV. cap. 3.* quamque examinasse dicitur BORLASSVS *Tract. de Hybernia.* Conf. etiam VARANDÆVS *de morb. intest. cap.* 7. qui similem quoque Dysenteriam in agro Tholosano observari asserit. Et ad hanc speciem quoque non immeritò hæc nostra *Pannonica Dysenteria* (licet & illa sœpius in istis oris epidemicè grassari soleat,) referenda esse videtur, quæ ab ordinaria maligna quodammodò quoad modum causandi, omnium verò maximè quoad modum affligendi differt, quoniam ordinariè vehementioribus ac gravioribus symptomatibus stipata incedit, majo-

remque communiter ſtragem in caſtris, quam quidem illa in civitatibus, edit, qua de cauſa etiam COBERVS in *Obſ. Med. caſtrenſ. Dec. II. Obſerv. X. in Schol. p. 55.* haſce pannonicas dyſenterias *omnium crudeliſſimas* eſſe, ex experientia jamjam pronunciavit. Huc pertinent quoque diſtinctiones dyſenteriæ in *benignam* & *malignam, contagioſam* & *minus talem,* quæ omnibus jamjam notiſſimæ ſunt; nec non in *torminoſam*, quæ ordinariè & plerumque occurrere ſolet, ac in *indolentem*, qualem RHODIVS *Obſ. med. Cent. II. obſ. 88.* BARTHOLINVS apud BONNETVM *Med. Septentr. collat. Lib. III. ſect. X. cap. V.* & WEDELIVS in *A. N. C. Dec. I. Ann. 2. obſ. 43.* deſcripſerunt.

§. XI.

Proindè porrò quoque differt ratione *originis* & *adjunctorum* affectum; prioris intuitu eſt vel *idiopathica*, per ſe, absque aliorum morborum concurſu oboriens; vel *ſymptomatica*, vel etiam *critica*, quales in peſte, febre hungarica, variolis, morbillis, &c. quandoque obſervantur: Reſpectu connexorum verò eſt vel *ſimplex* & ſolitaria, nullo nempe alio morbo nec adeò gravibus ſymptomatibus juncta; vel *complicata*, quæ varios alios morbos ſimul connexos habet. Sic modo cum febre occurrit, modo etiam ſine hac, de qua vid. HORSTIVS *Lib. IV. obſ. 20.* Sic quoque cum vomitu cruento conjunctam vidit WEDELIVS in *A. N. C. Dec. I. Ann. 2. obſ. 44.* cum morbillis & convulſionibus *Francus à* FRANCKENAV *ibid. obſ. 82.* cum vermibus GVARINONIVS *Conſil. 380.* cum aſcaridibus AGRICOLA *de dyſent. pag. 7.* Quorſum etiam non immeritò referenda erit ſcorbuticorum illa Dyſenteria, magis quidem *ſpuria*, quam vera, ſub-

jectis

jectis hisce, præcipuè in Pomerania, juxta testimonium GERDESII in *Dissert. de Dysenteria cap. VIII. §. 3.* & locis vicinis admodum familiaris, quæ ab ordinaria & genuina Dysenteria in eo tantum differt, quod sanguis fecibus haud permixtus & utplurimum sine omni ferè dolore (si gravativum excipias,) ac torminibus excernatur, aliaque scorbuti combinati signa, ab EVGALENO atque SENNERTO fusius recensita, vel antea præcesserint, vel sub ipsa excretione ægros adhuc detineant.

§. XII.

Quoad Historiam morbi, ad quam ratione ordinis nunc devolvimur, observanda inprimis erunt signa *antecedentia*, *concomitantia* & *consequentia*. Antequam igitur hic morbus in ordinaria sua facie apparet, præcurrunt communiter frequentes, satis tamen leves horripilationes, varii transitorii & vagi intestinorum dolores, lancinationes, murmura & borborygmi; succedunt dein pressiones & anxietates circa præcordia, imminutiones & plenarii defectus appetitus, agrypniæ ferè continuæ, sitis & calor quodammodo auctior, cum frequenti ad desidendum conatu, absque tamen notabili excretione aut ullo levamine, quem tandem plerumque diarrhœa excipit, plus minusvè torminosa, quam sœpius prodromi loco habet hæc Dysenteria, juxta HIPPOCRATEM *Sect. VII. Aphor. 75.* Si dein actu præsens fuerit hic morbus, tunc eundem tanquam *essentialia signa* statim produnt, notante MENJOTIO *de fluore dysent. p. 428.* notissimæ illæ crebriores *cruentæ ac torminosæ dejectiones*, cum molestissimo tenesmo

præcipuè conjunctæ; ipſam verò excrementorum ſucceſſivè obſervabilem differentiam & varietatem, ſic deſcribit HERLICIVS *de dyſenter. p. 10.* quod ab initio prodeuntia excrementa flava & albicantia fuiſſe obſervaverit, qualia aliàs quoque in diarrhœis egeruntur, hæc ſecuta ſunt ſpumoſa, dein mucoſa, tandemque quaſi pinguia, quæ dein ſimul modò magis, modò minus cruenta apparuerunt. De reliquo quantitas horum excrementorum minima ſemper eſt, ſœpiusque nihil planè horum prodit, ſed tantum vehementiſſimo diſcruciantur teneſmo ægrotantes, qui adeò eximiè tunc urget, ut plerumque ani procidentia ſubſequatur.

§. XIII.

Sub his ipſis ſymptomatibus concurrit inſuper febris admodum acuta, cum æſtu inſigni, interiora tamen magis, quam exteriora affligente, cui ſitis intenſa, ſumma virium proſtratio & maxima præcordiorum anguſtia junguntur, quæ ultima adeò interdum urget, ut etiam ſingultus & convulſiones, aut lypothymiæ graviores, non raro ſuperveniant. Lingua ordinariè muco albo, viſcido, eſt obducta, in aliis etiam ſicca, obſcurè rubicunda & nigra, cum copioſis in eâdem apparentibus fiſſuris ac ſupervenientibus tandem aphthis, hanc pariter ac fauces obſidentibus. Sœpiusculè erumpunt etiam petechiæ in cute, ſub quibus ſymptomata omnia graviora ac periculoſiora redduntur plurimique ægrotantium ante ſeptimi diei decurſum moriuntur. Inſtitutâ dein anatomicâ ſectione cadaverum, inteſtina communiter inflammata & ſphacelata deprehenduntur, imò in multis apoſtemata & ulcera ibi-

dem

dem reperta fuerunt, prout hoc inprimis teſtatur ſupra laudatus COBERUS loc. alleg. ita ſcribens: *Dyſenteriæ pannonicæ omnium crudeliſſimæ ſunt, ſic ut primis annis, cum naturam & rabiem morborum Ungaricorum ſedulò rimando indagaturus, anatomice plura cadavera aperuiſſem, inteſtina paſſim pugnum excedentibus apoſtematibus & ulceribus, perenni ſerie ſcaturientibus ebulliiſſe viderim, ut non absque cauſa confirmatas Dyſenterias in caſtris non curatu difficiles, ſed planè impoſſibiles deinde affirmaverim.*

§. XIV.

Signa autem diagnoſtica, partem & regionem inteſtinorum propriè affectam denotantia, quod attinet, ea in ſequentibus potiſſimum conſiſtunt: Si tenuia magis afficiuntur, tunc dolor ſemper gravior ac vehementior eſt, ægrique conqueruntur, quod quaſi aciculis cultrisque acutiſſimis inteſtina compungi atque diſcindi ipſis videantur, & hanc doloris ſpeciem tunc præcipuè circa umbilicum & in regione epigaſtrica magis percipiunt; proinde etiam dejectiones paulò tardius & non ita ſtatim poſt dolores & tormina ſequuntur, ſimulque fœtorem paulò magis adverſum, ob moram diuturniorem, ſpargunt & nonnihil chyloſæ materiæ cum ramentis tenuioribus continent, inſuper denique ſanguis ac reliqui humores, ob longiorem viæ tractum, fecibus exquiſitè admixti apparent, ipſique ægrotantes inſimul ab aſſumtis medicamentis mitioribus emeticis, magis ſe alleviari obſervant, quam ab uſu laxantium. Quodſi verò craſſa magis laboraverint inteſtina, tunc dolor eſt paulò obtuſior, ſimulque magis intra & juxta ſtomachum ac in utroque hy-

pochondrio, maximè vero ſiniſtro, juxta ductum Coli nimirum, ſentitur; dejectiones etiam, ob materiam proximè circa locum excretionis hærentem, brevi poſt dolorum augmenta prodeunt, nec uſque adeò gravem ſpirant odorem; ſanguis & mucus excrementis vel ab extra tantum adhærent, vel leviſſimè ſunt commixta, imò etiam interdum planè ſolitariè vel ante excrementa, vel etiam ſtatim poſt ea excernuntur; tandem non ſolum frequentiorem ad deſidendum ſtimulationem, ſed & præſentiorem dolorum mitigationem poſt clyſteres applicatos, quam quidem ab internorum medicamentorum uſu, percipiunt ægrotantes.

§. XV.

Reliqua vero humorum potiſſimum peccantium ſigna, utrum nimirum â bilioſis, an ſeroſis acrioribusve pituitoſis maxime productus ſit morbus, non niſi ab excrementorum diverſo colore, odore, conſiſtentia, aliisque qualitatibus, per adſtantes curioſiores examinandis, petenda erunt. Quodſi interim ab inflammatione inteſtinorum ortum traxerit talis Dyſenteria, tunc exquiſitiſſimos cruciatus doloresque pulſatiles, cum majori æſtu & ardore circa regionem ita affectam, perſentiſcunt ægrotantes, ipſaque febris & ſitis nimium quantum augentur, ac facilè vomitus atque ſingultus, imò tandem convulſiones ſimul complicantur. Si vero â contagio & clandeſtina quadam malignitate excitata fuerit, tunc præceps ac ferè ſimultanea virium proſtratio, anxietas præcordiorum extraordinaria, ſumma agrypnia, deliria, vomitus, aphthæ, ſudores frigidi, ſubitanea corporis extenuatio, aliaque morbi virulentiam

tiam indicantia ſymptomata ſtatim occurrunt & ſic ſtatum ſummè periculoſum prædicunt.

§. XVI.

Miſſis igitur hiſtoricis hujus morbi circumſtantiis ad ætiologica properantes, *cauſam* ejus *immediatam* & *proximam* in vellicatione, irritatione & ſtimulatione vehementiori inteſtinorum, eorumque imprimis tunicæ nerveæ, atque exinde ſubſequente p. n. conſtrictione quaſi convulſiva ipſorum, conſiſtere reputamus, quippe quæ & tormina iſta graviſſima, cum teneſmo illo moleſto, continuoque deſidendi conatu ſeu ſtimulo, & ipſas etiam frequentiſſimas illas dejectiones, tanquam palmaria & eſſentialia truculenti hujus affectus ſymptomata, unicè producere & excitare valent. Cauſam dein *mediatam proximiorem* conſtituit p. n. acrior confermentatio humorum biliofo - ſeroſorum, nimium quantum accumulatorum inque craſi & mixtione ſuâ admodum depravatorum, partim â peregrino, ſubtiliori & ſpecifico quodam miaſmate halituoſo, maſſæ humorum ab extra communicato, partim quoque ab aſſumtis heterogeneis & confermentantibus ſubſtantiis, excitata & introducta: Legitima enim & ordinata ſe- & excretio bilis, ſicuti in ſtatu naturali non parum ad ſanitatem integram & illibatam conſervandam contribuit, ſic & ejus inſolita retentio & commixtio cum aliis eidem minus homogeneis humoribus, atque exinde tandem oborta acrior ebullitio, effervefcentia ac fermentatio, ſanitati vitæque inimiciſſima eſt, interque morbos tam huic, quam illi infenſſimos, inprimis quoque deleterias iſtas Dyſenterias frequentius atque facilius

lius excitare & inducere solet, confirmantibus id ipsum præcipuè sectionibus anatomicis in cadaveribus morbo hoc defunctorum institutis, quarum beneficio detectum fuit, quod semper vel nimium vitiatus, acrior & corrosivus, vel planè iners, aquosus nimiumque profusus ac ferè omnis ex vesicula sua expulsus fuerit hic humor cœteroquin non prorsus illaudabilis.

§. XVII.

Dum vero hac ratione culpam primariam, quoad hujus affectus excitationem, non immeritò in biliosum laticem, nimium quantum depravatum atque corruptum, rejicimus, minimè propterea alios quoque corporis nostri humores, tam utiles, quam inutiles, gastricum nempe & pancreaticum liquorem, nec non lympham atque serum, penitus abinde exclusos esse volumus, utpote qui itidem, tam ad subeundam noxiam istam cum bile confermentationem, quam producendum pessimum hunc nostrum affectum, aptissimi existunt, si nimirum vel â causis externis commoti, vel â peregrino miasmate acri, halituoso, intra sanguinis massam delitescente, infecti ac depravati fuerint: Tunc enim humores tales, ex prævia inter se invicem excitata confermentatione, indolem acido-acrem, corrosivam nacti, sicque pro causa *materiali* hujus affectus satis apti atque qualificati, gravissimas statim in intestinorum canali excitant turbas, dum hinc mucum intestinalem & villosam tunicam abradunt, illinc fibrillas & vasa nervosæ membranæ gravissimè vellicant, irritant ac stimulant, & isthinc denique orificia venularum & arteriolarum, in cavitatem intestinorum hiantium, erodunt

erodunt totamque hujus canalis superficiem excoriant, utique hoc pacto, subsequente crebriore teneriorum mucositatum & sanguinis exstillantis propulsione, conjunctisque vehementioribus per totum intestinorum tractum excurrentibus constrictionibus spastico-convulsivis, & crebriores & valdè torminosas tales dejectiones dysentericas facillimè causari possunt.

§. XVIII.

Causas denique *mediatas procatarcticas*, seu *remotiores*, quod attinet, variæ utique, imò ferè innumeræ sunt, inter quas, & quidem ex Non-naturalium rerum ordine, in quantum *Aër* se ad producendum huncce morbum extendat, videatur in *A. N. C. Dec. II. Ann. 4. p. 246.* & apud HIPPOCRATEM *Sect. III. Aphor. 2. 12. 16. & 22.* Nocet enim potissimum nebulosus, pluviosus, impurus variisque acribus & fermentescentibus vaporibus infectus, nec non crebriores ejus ex intenso calore in nimium frigus mutationes & vicissitudines; & hinc est, quod non solum mensibus autumnalibus præcipuè, sed & in castris, inprimis vero in regionibus Pannoniæ, omni ferè tempore occurrat & longè lateque grassetur pessimus hic vitæ sanitatisque hostis, quoniam non solum *tantus tepor, mollities & crassities est aëris Hungarici,* (sunt verba supra memorati COBERI in *Observ. med. castrens. Dec. I. p. 49.*) *ut, si linteolum aqua, stagnante præsertim, lotum, ad solem siccandum exposueris, totum vermibus Syllanis scaturire brevi post videas;* sed insuper quoque, referente eodem Autore *l. c. p. 52.* *duobus semper cum extremis aër hic colluctatur, aut extrema crassitie nocte & nebulis inspissatus, aut iisdem penitus di-*

 scussis,

ſtuſſis, extrema ſubtilitate hac, æque ut illa, ſuſpectiſſimis. - - Hæc autem ab uno extremo ad alterum viciſſitudo aſſidua, quantam non aſſuetis vim inferat, concedere, quam experiri malo. Huic ergo in ſe jam peſſimæ Aëris qualitati ſi ſimul effluvia & miaſmata putredinoſa ſeſe jungant, aliter certè fieri haud poteſt, quin graviſſimi contagioſi, inprimis vero ſontici tales dyſenterici morbi, copioſiſſimo vereque immenſo numero producantur & excitentur. Talia vero quod nullibi locorum magis, quam in caſtris, & præcipuè Pannonicis, accumulentur & excitentur, ipſa experientia ad nauſeam usque jam docuit, prædictusque COBERVS *l. c. p. 58.* hiſce verbis confirmavit: *Quantum miles noſter, data quaſi opera, ſordibus & immunditie aërem per ſe ſatis ſuſpectum conſpurcare geſtiat, abſit ut commemorem, cum omnes illi, qui caſtrorum ſpurcitiem vel per tranſennam inſpexerunt, ſupinam militum ſocordiam vel negligentiam ſerio deteſtentur: In ipſis enim caſtris, imò, ut mali labes eò longius graſſetur, inter omnes ferè tentoriorum intercapedines, non tantùm ſordes, ſed cadavera quoque jumentorum hominumque nonnunquam videas & videndo excandeſcas. - - Si ergo virulenti aëris infecti contagio ſuccumbunt illi, qui brevi tempore venenatos halitus caſtrenſes receperint, quis illum non pro deplorato habuerit, qui diuturna ſuetione illos penitus imbibens, fomitem malignæ putredinis coacervaverit illis rebus, quæ ſalubris aëris puritati prorſus ſunt contrariæ? Quod certe fiet, ſi adverſiſſimum Germanis aërem Pannonicum ſolumque inviſum ſpurcitie caſtrenſi in nos armaverimus.*

§. XIX.

Secundum locum in claſſe procatarcticarum cauſarum

ſarum meritò tribuimus *alimentis*, & quidem præcipuè tàm *fermenteſcibilibus*, quàm corruptibilibus; ex priorum numero agmen ducunt fructus horæi, tàm maturi, quàm immaturi, quos propterea jam olim ſedulò evitare jusſit Schola Salernitana, his verbis:

Autumni caveas fructus, ne ſint tibi luctus.

Et licet non ſemper in fructuum horum comeſtionem nimiam, etiam Dyſenteriæ epidemicæ cauſa rejicienda ſit, cum, teſte experientiâ, ſœpiſſimè quoque pueri & infantes lactentes, nec non illi, qui à talibus fructibus plane abſtinuerunt, itidem graviſſimè hoc morbo correpti fuerint; nihilò tamen minus notum quoque imò notiſſimum eſt, quod illa ſubjecta, quæ fructus tales in majori forſitan quantitate inconſideratè aſſumſerunt, plerumque poſtea tantò facilius & citius ſontico hoc morbo correpta & gravius inſimul afflicta fuerint. Cum ergo in Pannonicis caſtris miles præcipuè meſpila, caſtaneas, avellanas, uvas, pepones, poma & pyra, pruna ac denique fructus omnes fugaces, in deliciis habeat illosque veſanâ prorſus incontinentiâ ingurgitet, quis mirabitur, corporibus pravorum, acrium, fermentativorum & impurorum ſuccorum ſentinâ coinquinatis, ingluviei helluones pœnas ſummè meritas dare: Meſpila enim, licet quaslibet diarrhœas mitigent aut etiam præcaveant, modò cum ratione fuerint comeſta, tamen ſi in copia & ad ſatietatem nauſeoſam uſque devorata fuerint, neceſſario remoram alvinis excretionibus injiciunt, ſicque impuritatum nocentiſſimam accumulationem, Dyſenteriis inducendis eò magis faventem, ſimul inducunt.

Pejores his ſunt caſtaneæ, quippe quæ vel ſolæ, flatulentæ viſcoſitatis ſuæ procellis, ſpatioſos coli anfractus diſtendere & diſtorquere, craſſioris autem ſuæ ſubſtantiæ ſaburrâ graciliores meatus infarcire atque obſtruere, ſicque prima ad minimum hujus mali fundamenta ponere ſolent. Avellanas autem in fruticetis colurnis paſſim obvias, familiare quaſi Dyſenteriis & Lienteriis fomentum præbere, nemo neſcit; quemadmodum etiam uvas, hasque vel auſteras, vel per-maturas, nec non Pepones, qui in Hungaria longè humidiores & vix non maligniore qualitate, quam ullibi locorum, imbuti ſunt, frequentiſſimè tam diarrhœas, quam torminoſas inteſtinorum eroſiones inducere ſolere & valere, omnibus notiſſimum eſt. Vid. de his plura in Dn. Prof. BÜCHNERI *Miſcellan. Phyſ. Med. Mathemat. Ann. 1729. Menſ. Januar. Claſſ. IV.*

§. XX.

Inter poſterioris generis noxia alimenta, nempe *corruptibilia*, eminent inprimis *carnes*, vel ſemi-crudæ, vel etiam pingviores & craſſiores, quas inter merito primo loco ponimus vervecinas Hungaricas, utpote ſucci craſſioris & propter adipem ſummè noxium & concoctū difficillimum, plurimum ſuſpectas, quas, teſte COBERO *l. c. Dec. III. p. 40.* nemo facilè, niſi egregiè boni ſtomachi, impunè, præſertim male maſticatas, ſubegerit: fauces enim gratiâ jucundioris ſaporis, qui proprius eſt huic carni, ineſcatæ, manſu diuturniore ſœpè quidem easdem contererent, niſi fames urgens & ventriculus avidior dentibus illas ſubtraherent; hinc etiam prædictus Autor teſtatur, plures ſe in Hungaria vidiſſe, qui ab inconſiderata ejus comeſtione in Dyſenterias

vix

vix non lethales inciderint. Sic etiam huc pertinent carnes & pisces semi-putridi, casei verminosi, cibi nimium salsi, quæ omnia frequentissima plerumque sunt militum edulia; ut & insolita ostrearum ac piscium marinorum comestio, à quâ itidem gravissimam Dysenteriam aliquando ortam observavit BINNINGERVS *Cent. IV. obs. 84.*

§. XXI.

Ex *potulentis* huc referenda sunt mustum, vinum & cerevisia, recentiora minusque ritè defecata, vel etiam nimis acida, aut in suspectis vasibus metallicis asservata, v. g. in cupreis stanno non obductis, aut argenteis non deauratis, qualia exempla prostant apud BECKERVM *in Tr.* von Blutgang, *p. 13.* HILDANVM *in observ. p. 669.* & COBERVM *l. c.* Nocent etiam potulenta quælibet actu nimis frigida, corpore præcipuè calente ingurgitata: Nam habet equidem Pannonia sitim ferè clamosam duplici quasi jure sibi familiarem, ob aërem nempè æstuosiorem & vini generosioris, præ cerevisia magis usitati, copiosiorem assumtionem; qui verò eandem refrigerantibus vel etiam frigidis qualibuscunque unicè restinguere intendit, facilè diarrhœas diuturnas, tandem in lethales Dysenterias degenerantes, sibi concitabit. Nocent porrò quoque aquæ valdè crudæ, aut minerali quodam infectæ, item stagnantes, turbidæ & putridæ, præcipuè per canales plumbeos fluentes, nec non ex nive liquata collectæ, quæ inter ventrem ducentia numerantur à CELSO, & cum prioribus in castris frequentissimè pro potu ordinario adhibentur; hinc quoque intuitu harum circumstantiarum optimè vereque dixit SENNERTVS *in Praxi sua, Artic.*

de Dysenteria, nullam ferè in Hungaria susceptam fuisse expeditionem, in qua non ex insueta & incauta victus ratione, plures fermè Dysenteria, quam ferro obierint.

§. XXII.

Reliquæ vero res non-naturales, videlicet motus animi & corporis vehementiores, inprimis æstivalibus temporibus, vigiliæ immodicæ, ira, terror, metus, &c. dum Spiritus, totamque M. S. ac quicquid impuritatum hinc inde in corpore latitat, nimiâ commotione turbant, exagitant & orgasticè commovent, facile digestiones vitiare, cruditates magis accumulare, confermentationem acriorem earundem accelerare, sicque dispositionem dysentericam inducere valent, id quod etiam de gravioribus circa excreta & retenta occurrentibus turbis expectandum est, quippe quæ, uti in omnibus aliis morbis, sic & in nostro hocce multum pariter contribuere solent, prout id ipsum, inter alia, exemplum â ZACUTO LUSITANO *Prax. admir. Libr. II. Obs. 19.* recensitum, de Dysenteria ex hæmorrhoidibus suppressis, luculenter ostendit. Tandem etiam ex ordine *rerum præternaturalium* varii adhuc adducuntur affectus, quibus quandoque supervenire observatur Dysenteria, quique propterea itidem causis procatarcticis annumerantur, veluti sunt febres malignæ, petechiales, Variolæ, Pleuritides, imò ipsi quoque Vermes, quos itidem per intervalla quandoque Dysenteriam excitasse refert BONNETUS *Anat. pract. Lib. III. Sect. XI. Obs. 21.* quemadmodum BRANDIUS *in Act. Hafnienf. Volum. V. Obs. 31.* gravissimam hanc nostram *Dysenteriam*

castren-

castrensem â causa verminosa aliquando obortam esse annotavit. Cum vero utique adhuc sub judice lis sit, utrum Vermes â dysentericis rejecti revera causam hujus affectus procatarcticam, an vero producti morbifici titulum mereantur, quoniam per experientiam satis jam cognitum est, quod sub innumeris occasionibus eorundem seminia intra intestina deferri ibique evolvi & explicari queant; hinc non immeritò illos affectum non tam causare, quam potius aliunde excitatum fovere, adeoque melius ad morbos, qui Dysenteriæ interdum conjungi & supervenire observantur, referri debere putamus.

§. XXIII.

Ratione Prognoseos paucis adhuc notandum est, quod Dysenteria in genere in omnibus subjectis sensibilioribus ac junioribus plus semper periculi portendat, quam quidem in robustioribus atque adultis; senes autem & infantes teneriores vix unquam evadunt, quin potius, ob virium extraordinariam imbecillitatem, plerumque succumbunt. Si tenuia intestina magis sub eadem affecta sunt, inprimis verò jejunum, tunc juxta BAGLIVIUM *Prax. Med. Lib. I. p. 74.* ob hepatis viciniam, malum ordinariè gravius redditur, quam si in crassis sedem suam habuerit. Quo major autem graviorum symptomatum est numerus, uti in hac nostra castrensi ferè ordinariè contingere solet, eò periculosior semper censendus erit affectus. Dejectiones, quo magis tantum mucosæ sunt, eo certius aliquam salutis spem relinquunt; quo magis verò striis sanguineis intertextæ apparent, eò gravius malum indicant. Sanguis è

con-

contra ſincerus, purus & floridus, ſi non in admodum magna quantitate excernatur, ancipitis eſt ſpei. Confer. HIPPOCRATIS *Aphor. 23. Sect. VII.* Si cum excrementis veluti carunculæ ſimul prodeant, lethale eſt, juxta *Aphor. 26. Sect. IV.* Sic etiam ſi inteſtina gangræna vel ſphacelo jamjam correpta ſunt, id quod plerumque excrementa ad viridem, æruginoſum, vel etiam nigrum colorem accedentia ſummumque ac intolerabilem fœtorem ſpargentia, demonſtrant, conjunctis inſimul febre graviori, extremorum frigore, ſingultu & facie cadaveroſa, juxta *Sect. IV. Aphor. 23. & 24.* Porro, ſi linguæ nimia ariditas & inflammatio, ſumma deglutiendi difficultas, vel ipſa etiam Angina, cum ſingultu & vomitu, deliriis, aphthis, convulſionibus, &c. adſint, tunc ſanè certiſſimus ægri interitus expectandus eſt, id quod ordinariè ferè in Pannonica noſtra Dyſenteria accidere ſolet. Tum verò ſpem ſalutis denuò ſubſecuturæ magnam facimus, ſi vires adhuc ſuperſint bonæ, appetitus quodammodo conſtans, febris levior & mitior, excoriatio inteſtinorum parva & dejectiones parciores ac rariores, quod etiam Hippocrates *Sect. VI. Aphor. I.* confirmat his vercis: *Diuturnis inteſtinorum lævitatibus ructus acidus ſuperveniens, qui prius non fuit, ſignum bonum.*

§. XXIV.

In *Curatione* denique graviſſimi hujus morbi ad quatuor potiſſimum indicationes reſpiciendum erit: I.) Vt ſaburra humorum impurorum, acrium, fermentativorum, plus minus corroſivorum, ex primis viis tempeſtivè & blandè ejiciatur; II.) Fluxus mucoſo-cruentus adhuc continuans ſucceſſivè & modeſtè inhibeatur,

beatur, atque excoriatio intestinorum convenienter persanetur; III.) Dolores atque tormina gravissima, tenesmus, aliaque fortè præsentia symptomata securè leniantur & mitigentur, & IV.) Ventriculus unacum intestinorum canali roboretur, tonusque eorundem in gradu convenienti restauretur.

§. XXV.

Primæ indicationi ut oppidò satisfiat, optimè inserviunt nunc *emetica*, nunc *cathartica* blandiora: *Raro enim*, optimè scribit COBERUS *l. c. Dec. II. p. 53. imo ferè nullum in castris ex fœdis alvi profluviis feliciter retraxeris, nisi omnium primò, satis etiam forti purgante, modo vires admittant, Cacochymiæ sentinam rejeceris. Turgent enim, ut sæpius inculcatum, tempore autumnali, corpora pravis succis, quos ingluvies & intemperantia militaris ad certissimum interitum undique comportat;* quoniam tanta plerumque est incontinentia castrensis, tamque laxis habenis quisque in fructuum horariorum penu irrumpit, ut vix ipsa morte suppliciique metu miles à virulentis hisce delitiis retrahi possit, adeoque plures singulis mensibus autumnalibus, referente præfato Autore, intra decennium Dysenteriâ hacce Pannonicâ, quam à Turcis interemti fuerint. Horum autem evacuantium medicamentorum, licet hinc inde specifica ab Autoribus commendentur, operatio ferè promiscue se habere videtur, ut perinde sit, an hoc vel illud seligatur, modo resinosa, acria atque salina evitentur, à quibus mali exasperatio & ipsa mors procul dubio timenda foret. Interim tamen inter vomitoria, statim in principio morbi exhibenda, non immeritò præferendam esse cen-

ſeo decantatam illam atque Pariſienſium Medico celeberrimo, D. HELVETIO, quondam admodum lucriferam radicem Americanam *Ypecacuannam*, à PISONE in *Hiſt. Ind. utr. nat. Lib. IV. cap. 53.* prius deſcriptam & orbi literato communicatam, quæ ad ʒß. cum unico ♀ri emet. grano acuata, optimè tunc propinari poteſt; quemadmodum, ſi laxantia magis convenientia fore ex circumſtantiis judicaverit Medicus, utique reliquis palmam facilè præripiet *Rhabarbarum Orientale* in pulv. præcipuè ad ℈ij. vel ʒß. cum brodio carnis propinandum.

§. XXVI.

His præmiſſis ad *ſecundæ indicationis* executionem progrediendum erit, exhibendo in hunc ſcopum pulveres ex abſorbentibus tenerioribus, v. g. Matr. perlar. Conch. ppt. Oc. cancr. Cryſt. mont. C. C. philoſ. ppt. ℥ nat. & pauciſſimo ⊕o paratos, nec non decocta abſtergentia & moderatè roborantia, ex Rad. Caryoph. Ulmar. carlin. chin. ſarſap. herb. veron. beton. ſanic. pyr. Flor. roſar. r. bellid. papav. rh. chamom. hyper. hord. excort. farin. oryz. &c. quæ in caſtris præcipuè admodum proficua eſſe experta ſunt; item Emulſiones ex amygd. rec. exc. Pin. piſtac. ſem. pap. alb. violar. cum aq. fontan. vel deſt. quadam paratæ, additis jam recenſitis abſorbentibus & antim. diaph. cum ſacch. roſ. modicè edulcorandæ; porro in forma media *Electuaria* ex conſ. roſ. antiq. flor. bellid. Elect. diaſcord. conſ. de hyac. incompl. ther. androm. ſang. drac. & ſyr. cort. querc. concinnata; aut denique etiam pulv. diapnoicotonici, ex Antimon. diaphor. bezoard. min. terr. ſig. alb. Cor. r. ppt. Viper. ppt. thure vel maſtich.

Cort.

Cort. Cascar. & Nuc. Mosch. compositi; quibus omnibus tamen sedulò clysteres abstergentes & lubricantes, aut etiam prædicta rhabarbarina, aliquoties interponenda sunt, ne simultaneo forsitan actu intempestivè supprimatur sonticus iste fluxus.

§. XXVII.

Tertiæ indicationi satisfieri potest per in- & externa lenientia, paregorica, carminativa temperata, atque secura anodyna, moderatè tamen & parcius propinanda, quo fine internè optime conveniunt Decocta diluentia, lubricantia & mucilaginosa, ex Hord. & Aven. excort. C. C. rasp. Rad. Scorzon. Cichor. & Lapp. maj. parata, aut etiam loco horum brodium carnis, Seminibus Cumin. Carv. Anis. Fœnic. Aneth. Cum. &c. fervidè affusum & illicò colatum, propinari potest, quod egregiè juvat &, teste celeb. Argentoratensium Medico, D. SCHEIDIO b. m. multiplici experientia in ipsis etiam castris comprobatum fuit. His vero præter spem nihil proficientibus, tandem MP. de Cynogl. gr. j. vel etiam Ther. cœl. gr. ß. vel $\frac{1}{4}$ prædictis pulveribus absorbentibus sociari & vespertinis horis quandoque propinari potest; Externè vero optimum levamen tunc adferunt Clysteres lenientes & paregorici, ex Brod. Carn. vitul. aut vervec. Rad. Alth. Malv. Helen. Cich. Flor. Chamom. Melil. Mucil. Sem. Psyll. Thereb. in vit. ovi solut. Ther. Andr. & ℴℴ Cham. parati, nec non Fotus & Insessus ex Herb. & Flor. Chamom. Linar. Melil. Hyper. Samb. Verbasc. &c. compositi, quibus & dolores & ipse tenesmus atrocior paulatim felicissimè mitigari & profligari poterunt.

§. XXVIII.

Sublato hâc ratione truculento hocce affectu, tandem pro *quarta indicatione* impetranda, usitata remedia stomachica & tonica subjungenda erunt, videl. pulvis stomach Birckm. & Quercet. Ess. Absynth. comp. aut Ess. Galang. Zedoar. Gent. r. TR. ♁. ♂tis Ludov. aut cum succ. pomor, parata, aliaque, combinando simul congruam & accuratam Diætam, quippe quæ alias circa morbos castrenses dimidiam ferè partem curationis absolvit; ita ut aër frigidior & nebulosus, quantum possibile, evitetur, potulenta non nimium frigida, crassa ac feculenta, sed tenuia, diluentia, moderatè calida, cibique facilioris digestionis & laudabilis succi, præbeantur, utpote juscula ex Cremore Hordei & Avenæ, item gallinacea & bubula cum Oryza cocta, caro agnina, vitulina, pultes ex lacte & frugibus paratæ, cerasa sicca cum aliquantulo vini decocta & pulvere Cinnamom. aromatisata, aliaque tam confortantia, quam nutrientia, quippe in quorum recto & moderato usu tantum spei in hoc morbo plerumque collocandum est, quantum in magna medicamentorum farragine alii frustra quærunt.

T A N T V M.

(o)

Non

* * *

NOn veniunt ulli insignes sine Marte triumphi,
Nec nisi certanti digna corona datur.
Sic quoque certavit FELSMANNVS fortiter armis,
Hinc ipsi laurum magnus Apollo dedit.
Clarescas, crescas, vigeas per Nestoris annos,
Vtque Tibi & Patriæ fertilis esse queas.

Ita

PRÆSES.

FElix in celsa *petra* qui collocat ædes,
Non imbres, ruptis nubibus, ille timet.
Sic fundamentis FELSMANNI nititur altis
Doctrina & solidis, ceu *petra* firma, suis.
Tutum hinc perfugium, quorum contagia sternunt
Corpora, ut illuvies obvia cuncta rapit.
Tunc hac effugient in *petra* sæva pericla
Dum miserâ multos morte perire vident.
Sic fama exsurget Tibi, quam ventosa nec unquam
Isthac in *petra* murmura lingua quatit.
Addet plura Deus bona, quando inniteris usque
Christo, qui solus *Petra* salutis adest.

Ita

Nobilissimo atque Doctissimo Dno Doctorando, cum voto omnigenæ felicitatis, sincero affectu applaudit

D. ANDREAS ELIAS Büchner/
Institut. Med. Prof. Publ. Fac. Med.
Assess. Extraord. & S. R. I. Academ.
Nat. Curios. Collega.

* * *

Geh, Werthgeschätzter Freund/ so sagte dazumahl
Ich und mein gantzes Haus, der Freunde grosse Zahl,
Geh, reise höchst-beglückt nach dem beliebten Sachsen,
GOTT lasse Dich daselbst an Kunst und Weißheit wachsen!
Nun meldet mir Dein Brief von Deiner Wiederkunfft,
Doch ehe die geschicht, so wirst Du in die Zunfft,
Mit allem Ruhm und Preiß, derselben aufgenommen,
Die mit dem grossen D. zu uns zurücke kommen.
Ich gratulire Dir, die Meinen thun es auch,
Ich handele dabey nach Pflicht und nach Gebrauch,
Und setzen diesen Wundsch zu Deiner neuen Würde,
Sie sey Dir eine Lust und niemahls eine Bürde.
Der Geist komm' über Dich der Männer dieser Stadt,
Die Dich bisher ernährt und aufbehalten hat,
Von denen uns bekannt, ja schon vor vielen Jahren,
Daß Sie in Medicis berühmt und hocherfahren.
Sey bey der Wiederkunfft ein **Hohberg** in der That,
Dem Liegnitz vieles Wohl mit Recht zu dancken hat.
Hast Du gelernt, wie **Hahn** in Schweidnitz, zu curiren,
So kanst Du schon mit Ruhm den Doctor-Titul führen;

Ich

Ich zweiffle nicht daran, weil mir genug bekannt,
Daß Du von Jugend an viel Fleiß daran gewandt,
Komm nur, und laß uns bald die Proben davon sehen,
Wie Krancke wohl curirt aus ihren Betten gehen.

Hiemit wolte, seinem ehemaligen Versprechen nach, dem Herrn Doctoranden zu erlangter Würde gratuliren
Ein aufrichtiger Freund,
Johann Christoph Heinske,
Pastor in Sebnitz.

WEr seines Wissens Grund auf Felß und Klippen baut,
Und nicht auf leichten Wind verworffner Dinge traut,
Wer nicht statt Körner Spreu in Hirn und Schädel fasset,
Und statt bewährter Kunst auf neue Grillen passet,
Der kan, wenn Sturm und Wind auch über ihn ergehn,
Bey seiner Wissenschafft doch als ein Mann bestehn.
Er kan den falschen Dunst verkehrt-gelehrter Sachen
Durch die Realität gar bald entlarvet machen.
Hochwerthgeschätzter Freund! Dein Nahme zeiget an,
Was Schlesien von Dir vor schönes hoffen kan.

Was

Was sich vor Wissenschafft bey Dir, mein Felsmann/
findet,
Hat Zittau, Leipzig, Hall auf Felsen fest gegründet;
Nun schenckt Gerana Dir vor Müh und Fleiß den
Lohn,
Und setzt auf Deinen Bau die schöne Ehren-Cron,
Die allen, wer sie sieht, wird klares Zeugniß geben,
Es müsse nur Dein Thun nach festem Grunde streben.
Dein Glücke müsse denn nun auch auf Felsen ruhn,
Des Höchsten Allmachts Hand befördere Dein Thun,
Und lasse jederzeit, bis zu den späten Jahren,
Dich Seegen, Wohlfahrt, Heyl, von seiner Huld er-
fahren;
Und wenn es künfftig Dir nach solcher Art ergeht,
So dencke auch an den, der noch zurücke steht,
Der sein Gelücks-Schiff noch auf wilden Wellen treibet,
Daß Deine Treu zu ihm auch Felsen-feste bleibet.

Mit diesem wenigen recommendiret sich
dem Herrn Auctori zu beständig-ge-
neigtem Andencken und Freundschafft
ein Desselben getreuer Diener und
Landsmann,

Abraham John/ Med. Stud.
Lignic. Siles. Adelsdorff.

(o)